



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. De Speciebus & Ha[b]itu Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)



DISPUTATIO V.

De Speciebus, Habitu, Actu, Necesitate, Subjecto, Oppositis Fidei.

Primum exordiemur à speciebus & habitu, tanquam principiis actus fidei. Sic

QUÆSTIO I.

De Speciebus & Habitu Fidei.

Quæ hîc dicentur de speciebus & habitu Fidei, applicari debent ad omnium actuum supernaturalium species & habitus. Unde in ipso etiam discursu, magis attendetur ad Majores. Minorum enim subsumptio faciliior, & in aliis materiis facienda. *Quod attinet ad species.*

ASSERO, quòd species concurrente ad actus supernaturales, consequenter & fidei, non sint supernaturales. Est positio Suar. & Vasq. cum communi contra Gran. Ratio, quia ad actum supernaturalem non est necesse omnia principia supernaturalia concurrere, sed sufficit, ut vel unum sit supernaturale in Entitate, vim habens elevandi reliqua. Ergo nisi sit specialis necessitas, ut sint species in Entitate supernaturales, id de illis asseri non potest, quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec in altiori ordine reponenda, nulla autem necessitas est supernaturalis speciei.

DICES in Oppositum esse aliquas Paritates.

PRIMA PARITAS. Apprehensiones præcedentes actus fidei sunt supernaturales. Ergo & species.

RESPONDETUR. Apprehensiones illas dupliciter sumi posse. Si sumantur pro apprehensionibus, quæ habentur ex ipsa doctrina, vel propositione credendorum. Nego illas debere esse supernaturales: nulla enim hujus necessitas. Si autem sumantur apprehensiones pro illuminatione Spiritus Sancti, illæ erunt supernaturales: quia illuminatio tribuitur gratiæ sine addito à PP. Jam autem species illæ, nullibi tribuuntur gratiæ sine addito.

SECUNDA PARITAS. Repræsentatio in actu

fidei correspondens speciebus est supernaturalis, Ergo & species.

RESPONDETUR. Cùm repræsentatio illa sit ipse actus fidei, debet esse supernaturalis: quia datur illius supernaturalis actui ipse habitus; qui cæteroqui tribuitur gratiæ sine addito. Nullum autem datur supernaturalis actui specierum.

TERCIA PARITAS. Species impressa Dei si daretur, deberet esse supernaturalis. Ergo & species deserviens actibus fidei.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia species impressa naturalis Dei, eaque propria non abstractiva, ex hoc ipso quod esset naturalis, non esset excedens exigentiam alicujus substantiæ creatæ; & ex hoc quod esset propria, ordinaretur nonnisi ad intuitivam noticiam Dei consequenter & illa ipsa esset debita alicui Creaturæ. Cujus oppositum docetur in Prima Parte, & in materia de supernaturalitate. Jam autem positæ speciebus ad fidem requisitis non nisi naturalibus, illæ quidem erunt debite alicui intellectui Creato, non ordinabuntur tamen ad intuitivam Dei, aut nonnisi ad actus fidei supernaturales. Et licet ordinentur ad actum supernaturalem fidei interdum, ordinantur tamen, non determinando sibi nonnisi supernaturalitatem, nec ordinantur ordinatione exigentiæ, sicut & ipse intellectus non ordinatur ad actus nonnisi supernaturales, & ad supernaturales refertur ordinatione elevabilitatis. Quòd si aliquis negaret implicare speciem naturalem impressam Dei, nondum tamen fore Dei visionem naturalem: quia indigeret adhuc elevari ad illam principiandam, huic non incumberet onus dandæ disparitatis. Per hoc tamen urgeri posset, quòd daretur tunc causa nullum sibi proportionatum habens effectum; non naturalem visionem, hæc enim non datur: non supernaturalem, quia hæc illi non est proportionata, sed excedens.

QUARTA PARITAS. Species infusæ CHRISTO debent esse supernaturales, Ergo & fidei.

RESPONDETUR. Negando Antecedens; præcipue circa species; quæ non sunt de se determinatæ & exigentes actum supernaturalem.

QUINTA PARITAS. Memoria actuum supernaturalium est supernaturalis, Ergo & species.

RESPONDETUR. Ex dictis alibi, illam memoriam esse naturalem, nullumque est fundamentum illam supernaturalisandi, cum non deteriat intuitivæ supernaturalium, aut propriæ notitiæ ut vocant. *Quod attinet ad existentiam habituum supernaturalium consequentes & fieri.*

ASSERO *Dari habitus supernaturales*, Existentia habituum supernaturalium eorumque permanentium colligitur ex Auctoritate Sacra, quæ proponitur, ubi tractatur: An gratia habitualis sit qualitas permanens. An autem id sit de fide aliqui cum Vasq. Soto. Med. negant. Alii cum Suar. & Rip. concedunt. *Insuper prædicti asserti.*

RATIO est, quia homo in ordine naturali habet principia permanentia in ordine ad operandum, exigente id connaturalitate operandi, Ergo etiam in ordine supernaturali censendus est habere principia permanentia supernaturalia, exigente id connaturalitate operandi. Et sicut non esset connaturalis operatio, si proficisceretur ab aliquo extrinseco, sic nec connaturalis esset operatio, si nobis, non nisi auxilium transiens applicaretur. Hac ratione non est contentus Ripald. cum quo de Ente sup. d. 120.

DICES Primò. Sufficit ad hoc, ut actus virtutum supernaturalium fiant connaturaliter, concursus per auxilium gratiæ actuale: nam etiam auxilium hoc, est principium supernaturale intrinseco.

RESPONDETUR. Auxilium supernaturale esse intrinsecum, intrinsicitate proportionali naturalibus, nam in naturalibus intrinseca talia, sunt permanentia: hinc etiam in naturalibus, concursus divinus non dicitur aliquid esse intrinsecum, sed est illic hæc sola intrinsicitas, hoc est conjunctio alicujus extrinseci, cum aliquo intrinseco.

DICES Secundò. Actus supernaturalis elicitus per auxilium extrinsecum, non exigit ex natura rei auxilium intrinsecum, imò repugnat illum fieri per auxilium intrinsecum: quia pendet per seipsum essentialiter, & non per actionem distinctam à suis principiis efficientibus.

RESPONDETUR. Quod in dicto actu, sit existentia non absoluta auxilii intrinseci, sed ut connaturalius fiat. Quando autem per seipsum pendet ab auxilio intrinseco, pendet sine prædicato connaturaliter eliciti, quòd prædicatum habet, quando elicitur à principio intrinseco. Unde utrobique pendet à suo principio, per in-

distinctam actionem, sed in diversis circumstantiis & cum diversis formalitatibus. Sicut idem est & simile & diversum, sed ratione diversarum circumstantiarum; hæc autem volumus statueræ actum supernaturalem cum prædicato connaturalius eliciti, ad quod prædicatum, requirimus principium intrinsecum permanens. Sed de hoc dictum in Animateis. Negari etiam non immerito potest, quòd actus ab habitu supernaturali procedat sine ullo modo.

DICES Tertiò. Cum Eodem hic d. 18. num. 2. Sunt plerique actus supernaturales, qui connaturaliter fiunt per solum auxilium extrinsecum.

RESPONDETUR. Motus supernaturales, qui fiunt in nobis sine nobis connaturaliter fiunt per solum principium extrinsecum secundum communiora Principia: quia etiam in naturalibus, excepto intellectu, nullum datur principium permanens primarum cogitationum, sed in sententia Aristotelis pendet à bona fortuna: quia tamen dantur alii actus naturales, qui habent principium permanens intrinsecum, ut illis proportionentur actus supernaturales exigunt principium permanens supernaturale pendet autem à principio extrinseco per actionem indistinctam sed sine prædicato connaturalius eliciti.

DICES Quartò cum Eodem. Status ordinis Divini, constitutus per gratiam justificantem, non est homini connaturalis & annexus, sed ex natura rei amovibilis acquiritur ab adultis, mediis dispositionibus præcedentibus habitum, quod ipsum non est dissentaneum naturæ, sed connaturale.

RESPONDETUR. Status ordinis Divini independenter à suppositione illius, non debere esse annexum: nec enim est in nobis principium exigitivum illius, ex suppositione tamen, debet aliquid esse permanens, nec se habens sicut actus vitalis transiens. Cum quo stat, ut connaturaliter acquiratur per antecedentes actus; sicut & dantur formæ naturales, quæ non nisi mediis dispositionibus acquiruntur, & quia ipsæ illæ formæ, illis mediis dispositionibus acquiruntur, sunt quid permanens, connaturale etiam est, ut habitus supernaturalis & in particulari fidei, sit quid permanens.

DICES Quintò cum Eodem. Defacto præcedunt actus supernaturales infusionem gratiæ, quin illis ulla violentia inferatur. Ergo apparet illos non deponere ad connaturalitatem principium intrinsecum.

RESPONSUM. Hoc ipsum tale procedere, esse ex proportionem, cum aliquibus actibus naturalibus, licet connaturalius alii actus deponant fieri à principio intrinseco ut dictum. Hispositis. *Sic*

R. P.
TH. MŁOD
zia nowski
Tbm. d. e. Z.
D. VI

DIFFICULTAS I.

*An habitus supernaturales infusi
facilitent?*

IN hac difficultate præsupponendum est, in hoc esse dispares habitus infusos à naturalibus, quòd illi dent simpliciter posse, non autem naturales, licet utriusque sint permanentes. Hi habitus supernaturales dantes simpliciter posse, vocantur infusi, non quod non infundantur forè à Deo etiam habitus acquisiti supernaturales, hoc enim controversum est, sed quia non præsupponunt quidquam in illo genere, v. g. ante habitum fidei non præsupponitur posse proportionatum ad actus fidei supernaturales, ad eum modum, quo id quod infunditur, non præsupponitur in ante. De his ergo prioribus habitibus infusis quæritur an facilitent, vel non.

DICENDUM est I. *Possibiles esse habitus supernaturales infusos, & in particulari fidei, qui non tantum dent simpliciter posse, sed etiam facile posse.*

PROBATUR Primo. Quia id non implicat contradictionem, in habitu v. g. fidei specie distincto à nostrate.

PROBATUR Secundò. Posset DEUS assumere habitum infusum, non facilitantem tantquam instrumentum ad facilitandum. Ergo & facere distinctum specie habitum, per se facilitantem.

PROBATUR Tertio. Dantur potentia naturales dantes & simpliciter posse, & facile posse, saltem liberalius loquendo, talesque sunt omnes potentia sensuum. Ergo & dables sunt tales habitus supernaturales.

DICENDUM est II. *Defacto habitus infusos non facilitare.*

PROBATUR Primo *Experientiâ.* Et missis aliis, de puero baptisato, qui cum aduatum rationis pervenerit, non sentit inclinationem ad actus mortificationis, & ne id rejicias in defectum specierum, etiam illis acquisitis, non sentitur facilitas. Item experientur viri docti se in omnibus virtutibus facilitatem habere, de quibus discurrunt, quod tamen non solet evenire.

PROBATUR Secundò. Si habitus infusus faciliteret, effectus illius formalis esset facilitatio, quæ non posset haberi sine ipso habitu. Sed sine habitu infuso habetur facilitas: quia si aliquis peccet mortaliter, non manent in illo nisi fides & spes, & tamen experitur facilitatem in tot aliis Actibus, Ergo præcisè in habitum infusum illa facilitas referri non debet, nec etiam in species: quia ut alibi dictum, illæ non sunt facilitativa, facilitate tenente se à parte potentia.

PROBATUR Tertio. Quia si nihil obsit, eo-

dem modo est discurrendum de ordine supernaturali, quò & de naturali. Sed in ordine naturali potentia non sunt facilitativa actuum, ad quorum modum eliciendum non sunt determinata. Ergo cum etiam nos non simus determinati, ad modum eliciendi actus fidei, facilitas illa non erit à potentia supernaturali, hoc est habitu infuso.

OBJICIES Primò. Potest aliquid esse principium agendi, & simul principium facilitativum, ut sunt species. Ergo similiter habitus infusi non tantum dant posse, sed etiam facile posse.

RESPONDETUR negando Consequentiam; quia à possibili non datur argumentari, ad, defacto. Non implicat hominem volare, & non inferitur. Ergo volat. Unde autem colligitur, quòd defacto id non competat habitibus infusis? Ex rationibus adlatis. Quòd etiam tanquam signum à posteriori adlata superius experientia suadet.

OBJICIES Secundò. Quia multis actibus intendens habitum infusum, facilius eliciunt actus fidei. v. g. Ergo apparet habitum infusum facilitare.

RESPONDETUR. Falsum esse Antecedens, qui ex communiore sententia, aucta gratia ob actum, v. g. liberalitatis, augetur habitus humilitatis, & tamen non sentitur facilitas. Deinde intenso habitu, facilius eliciuntur actus, ex vi acquisiti habitus, seu alius Principii, non autem ex vi intensiois habitus infusi.

OBJICIES Tertio. Habitus infusus inclinatur ad suos actus, cum ad illos ordinatur, Ergo & facilitat: nihil enim aliud est facilitatio, nisi inclinatio ad actum.

RESPONDETUR. Inclinatio, quæ est ex vi præcisè ordinis, qui dicitur ad actum, non est facilitas, aliàs omnes potentia etiam naturales, seclusis habitibus acquisitis essent sibi facilitativum, licet inclinatio, quæ fit per modum ponderis cujusdam & alleivi, sit prædicta facilitas.

OBJICIES Quarto. Lumen Gloriæ facilitat, quia necessitat ad visionem: quæ autem major facilitas, quàm necessitas. Unde potentia necessaria nullam in agendo sentiunt difficultatem, Ergo & habitus infusus facilitabit.

RESPONDETUR. Etiam lumen gloriæ non facilitat proprie: illud enim dicitur proprie facilitare, sine quo supponitur potentia agendi, & tamen posse videre Deum supernaturale habetur à lumine, saltem connaturaliter. Disparitas etiam est, quia posito lumine, sicut non potest non facile videri Deus, sic non potest non facile videri. Jam autem posito habitu infuso, potest nondum esse actio, illaque posita, experimur in ipso actu defacto difficultatem, Ergo apparet facilitatem non debere referri in habitum infusum.

OBJICIES Quintò. Virtus infusa est habitus operativus. Sed habitus operativus tribuit facilitatem, eo enim solo differt à potentia, quæ tribuit simpliciter posse, cum habitus, tribuat facile posse.

RESPONDETUR. Aliquem habitum operativum tribuere facilitatem, sed non omnem. Neque; quod omnes habitus supernaturales tribuant facile posse, different autem à potentia: quia, licet utraque adferat simpliciter posse, habitus tamen supernaturalis, adferet supernaturale posse.

DIFFICULTAS II.

Vnde proveniat facilitas in agendo supernaturalia?

Duo sunt modi respondendi ad hoc. *Primò.* quòd producat habitus acquisitus in entitate supernaturalis, eodem modo in suo genere acquisibilis, ac in suo genere acquiruntur habitus naturales, & hanc tenet Mol. Ari. Hurterque. *Secundò;* dicunt alii, quòd producat non nisi habitus acquisitus naturalis; hanc tenent Vasq. Val. Rip. & post illos Rec. Suar. tr. 2. Anim. d. 3. S. 1. quæ quidem sententia in duo membra dividi potest. *Imprimis* quòd tunc, cum actu se exercet anima actibus supernaturalibus, simul etiam se exerceat actibus naturalibus. *Secundò;* ut se simul tunc non exerceat actibus naturalibus, ita tamen, ut actus ipsi supernaturales, illam qualitatem facilitatis naturalem, producant. Quia autem in Animasticis dixi; Ex actuum quidem frequentatione produci habitum, non tamen ab actibus conformiter ad hanc phrasim.

DICENDUM est. *Ex actibus supernaturalibus acquiri habitum supernaturalem in entitate.*

PROBATUR Primò. Ex principiis Rec. Suar. Actus supernaturales habent vim producendi aliquem habitum, ut docet ipsemet Rec. Suar. Ergo potius dicendum est, ex illis produci habitum in entitate supernaturalem; quàm in entitate naturalem: quia quando dubium est, quale aliquid ex aliquo principio particulari, & non artificioso producat inclinandum est potius, quòd producat, simile, quam dissimile, ad hoc enim potius inclinatur natura. Dixi à causa particulari, quia causæ universales ordinatæ sunt à natura, ad producendos æquivocos effectus.

PROBATUR Secundò. Quia ille habitus, & esset habitus, ad actus supernaturales inclinativus, ut supponitur ex definitione habitus acquisiti; & non esset, quia habitus ille, cum sit naturalis, non habet vim inclinandi supra vires suas adeoque inclinabit, & non inclinabit.

RESPONDET Recentior Suar. Quòd ille

habitus, inclinatur ad actus ejusdem objecti cum illis, à quibus fuit productus, per accidens autem est ad talem habitum, quòd actus sit naturalis, aut supernaturalis: si enim concurrat auxiliium supernaturalis erit supernaturalis, si autem non detur illa elevatio, erit actus naturalis.

CONTRA est. Tum quia non est ratio, cur per accidens sit, quòd ille habitus inclinatur ad actus naturales vel supernaturales, quia nec potentia est per accidens, quòd dicat ordinem ad actus naturales vel supernaturales. Tum quia in definitione non dicitur, quòd debeat habitus inclinatur ad similes actus, non nisi objecto, cumque non minus differant actus supernaturalis & naturalis, quàm duo diversa objecta, sicut non potest idem habitus, nisi ad actum, circa hoc objectum, inclinatur: ita deberet non nisi, si est naturalis, facilitate ad naturalem actum. Tum quia de essentia habitus est, inclinatur ad similes actus, ex quorum frequentatione est productus. Sed est productus ex frequentatione actuum supernaturalium. Ergo non nisi illos inclinabit. Ergo non nisi inclinatur ad actus supernaturales, utpote se excedentes, hoc ipso illa qualitas non erit habitus, qui supponitur respondere illis actibus supernaturalibus.

PROBATUR Tertio Argumento negativò: quia non minus potentes sunt in suo ordine actus supernaturales, quàm naturales in suo. Sed ex actuum naturalium frequentatione, in suo ordine producantur habitus acquisiti naturales. Ergo etiam ex actibus supernaturalibus producantur supernaturales habitus.

RESPONDEBIS cum Rec. Suar. Quòd ex actibus supernaturalibus non producantur habitus naturales acquisiti, non provenire id, quasi actus supernaturales minus forent perfecti. Sed quia habitus supernaturales producendi sunt ita perfecti, ut postulent infundi immediate à solo DEO. Et sicut anima rationalis, non idcirco non generat aliam animam, cum ignis generet alium ignem, quasi anima sit imperfectior, sed quia anima producenda, est valde perfecta.

CONTRA. Tum quia, cur saltem ad exigentiam actuum supernaturalium, ab ipso Deo non producantur habitus supernaturales facilitativi? Unde item de tanta perfectione facilitativi habitus supernaturalis ut ex actuum frequentatione produci non possint. Et si habitus naturales non sunt ita perfecti, quin possint ex actuum naturalium frequentatione, vel ex uno intenso, (qui est æquivalenter plures actus naturales) produci, cur & habitus supernaturales eodem modo produci non poterunt. Tum quia, quæ ratione suæ perfectionis petunt non produci, non ex eo dant locum, ut aliqua imperfectior, pro illis producantur. Nam si anima non generat aliam

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tom. I. c. 2.
D. VI

aliam animam, non sequitur, quòd possit generare formam bovis, v. g. Ergo etiam in præfenti, non est dandus locus imperfectioris habitus producendi, qui est naturalis. Tum quia, quamvis anima non producat animam, non sequitur, quòd non possit producere ex actibus naturalibus habitum naturalem. Ergo nec ex eadem Instantia sequetur, quòd non possit producere ex actibus naturalibus habitus supernaturales. Tum quia, quamvis non teneat Consequentia Hoc producit, Ergo & illud aliud producit, si aliunde non supponatur, ab illis, aliquid produci; Si tamen supponatur produci, supponetur produci proportionaliter, & magis connaturaliter, connaturalius autem est, ex actibus supernaturalibus produci habitus supernaturales. Tum quia, si una anima produceret aliam animam, deberet illi inesse vis creandi, quæ non inerat quantumvis produceretur tunc habitus supernaturalis. *Omnia hæc ad hoc principium revocantur.* Non repugnat talis productio, ex altera parte congruit.

OBJECIES Primò. Cum Rec. Suar. Habitus naturalis acquisitus per actus similiter naturales, posset concurrere ad actum supernaturalem, simul cum potentia eleveretur ad illum. Ergo de ratione habitus naturalis, solum est, quòd concurrat ad actum circa tale objectum. Nec illi obest, quòd actus sit ei dissimilis in supernaturalitate.

RESPONDETUR. Posse quidem ad hoc elevari habitum etiam naturalem, sed non congruit, si aliunde congruat positio habitus supernaturalis.

INSTABIS Primò. Ponamus aliquem infidelem eliciisse plures actus misericordiae, etiam fidelis factus, sentiet facilitatem, quæ non habetur, nisi ab habitu naturali.

RESPONDETUR. Fortè Deus ex sua liberalitate infunderet tunc similem habitum supernaturalem; vel dabit illi insignem actum primum supernaturalem, ex cuius positione, producat habitus supernaturalis; vel fortè accedente alio motivo orto à fide difficultatem experiretur. Disparitas etiam hæc dari potest: quia cum in ante non præcesserint in infideli actus supernaturales misericordiae, facilitas non potest referri in aliud, nisi in habitum naturalem elevatum. Jam autem in fideli, cum præcesserint actus supernaturales, & congruat ex illis produci habitum supernaturalem acquisitum, fit, ut facilitas illa, in hunc potius habitum referri debeat.

INSTABIS Secundò. Ab actibus supernaturalibus relinquuntur species memorativæ naturales. Ergo & habitus relinquuntur nonnisi naturales.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia ejus nonnisi & ita accepti Actus datur memoria, quem & qualem in nobis experimur, non

experimur autem in nobis actum supernaturalem. Si autem non habetur memoria actus, quæ supernaturalis est, nec etiam species memorativa erit supernaturalis, accommodante se Principio, Conditioni Actus; Conditio autem actuum supernaturalium exigit Principium supernaturale, quod potest & congruit haberi.

OBJECIES Secundò. Si habitus isti essent supernaturales, non possent manere in peccatore. Nam Trident. Cap. 15, Sess. 6. docet, quòd in peccatore non maneat, nisi fides & spes, tales autem habitus manent in peccatore, experitur enim facilitatem ad actus similes iis, (ut supponitur) supernaturales, quos in gratia eliciebat.

RESPONDETUR cum Arriaga, quòd in peccatore maneat habitus supernaturales acquisiti. Trident. autem accipiendum simpliciter, & ut sonat: habitus autem supernaturalis simpliciter acceptus, supponit profuso, qui tunc auferatur. Et certè, cum non definiat Trident. nec constet in Theologia de habitibus acquisitis supernaturalibus non est supponendum Concilium degerminasse quidquam de illis. Et licet, quando non maneret posse, tam intrinsecum, quam extrinsecum otiosus esset ille habitus, si tamen maneat extrinsecum posse, situm in auxilio Dei offerendo, poterit manere. Illustrari id tolet Instantiã. Vivacissima apprehensio de objecto peccaminoso, nata est ad actus peccaminosos facilitare, & tamen hoc non obstante, habebat illam Christus, etiam si fuerit simpliciter impeccabilis; accidentia item aliqua manent in cadavere, quæ fuerant in vivente, & tamen ordinata sunt à natura, ad operationes vitales, ad quas non habebat simpliciter posse cadaver. Sic & facilitates illæ supernaturales manere possunt, quamvis intrinsecum posse simpliciter, non habeatur; videturque hoc spectare ad honestatem punitionis, ut non accipiat illa nobis Deus in pœnam peccati, quæ nos nobismet ipsis acquisimus; quamvis accipiat ea, quæ nobis liberaliter dederat. Ad cum modum, quo v. g. Dominus iratus famulo, accipit ab illo summam principalem, quam illi ad lucrandum dedit, quæ sita tamen exinde relinquit.

INSTABIS. Ergo ille peccator poterit seipsum justificare, habebitque initium salutis in se, & in sua potestate, cum in illius potestate sit uti habitu illo, ad eliciendos similes supernaturales actus, poteritque dici, quòd in peccatore Gratia maneat, non quidem infusa, sed acquisita.

RESPONDETUR. Negando illata; quia ad justificationem requiritur gratia efficax, quam non potest sibi conferre peccator: non potest item exire in actum, nisi habeat vel extrinsecum, vel intrinsecum posse simpliciter agere, quod ipsum non est in potestate peccatoris. Negatur item dari aliqua gratia, quæ sit acquisita, sed

est tota infusa; licet possit dari habitus charitatis acquisitus gratia, non maneat illa in peccatore. Talis autem specialis oppositio, non potest ostendi inter peccatum, & habitus supernaturales acquisitos. Deinde gratia ita se habet in ordine supernaturali, sicut esse in naturali; sicut ergo in naturalibus multiplicatis potentiis & habitibus non multiplicatur esse; ita & in ordine supernaturali multiplicatis habitibus, non erit necesse multiplicari gratiam, quæ est ipsum esse supernaturale, multiplicando illam in gratiam acquisitam & infusam. Licet hæc proportio non in omnibus teneat.

OBJICIES Tertiò. Sequitur ex dictis dari in nobis duplicem fidem & spem, hoc autem est in auditum.

RESPONDETUR. Totum hoc Argumentum difficultatem habere, non nisi ex modo loquendi, ad quam dico rigorosè loquendo, posse concedi plures esse habitus fidei in homine, sed non duplicem fidem; quia Ly fides sine addito supponit pro principali, adeoque pro fide infusa, quæ una est. Unitasque objecti specialis in fide, arguit, ut non nisi una dicatur. Ad rem tamen ipsam attendendo, potest concedi duplex habitus fidei, nempe habitus infusus, & acquisitus.

INSTABIS Primò. Sufficiunt habitus infusi: ad quid requiruntur acquisiti?

RESPONDETUR. Ad facilitandum, quæ facilitas non potest referri, ut dictum, in habitum infusum.

INSTABIS Secundò. Rec. Suar. Habitūs supernaturales sunt velut proprietates gratiæ, quæ se habet ad illos per modum naturæ. Sed gratia est una, Ergo & habitus.

RESPONDETUR. Non nisi habitus infusus, esse passiones gratiæ. Videantur in simili dicta supra.

INSTABIS Tertiò. Habitūs supernaturales sunt nobiliores actibus, & per se causa suorum actuum. Ergo ab actibus produci non possunt.

RESPONDETUR. Sicut naturales habitus acquisiti, non sunt nobiliores, nobilitate impediente positionem eorundem, præcipue cum actus sint in hac sententia causæ æquivocæ, quæ non debent æquare semper, excellentiam effectus; Sic nec supernaturales habitus acquisiti, sunt nobiliores, nobilitate impediente positionem eorundem. Quod quidem magis procedit, si conformiter ad dicta de productione habituum naturalium teneatur illos produci, non ab actibus, sed ab ipso habitu infuso, in circumstantia frequentationis actuum, & ab ipsa anima, prout elevata per gratiam. Utrumque autem principium conjungitur ad illam productionem: quia etiam non solus habitus, nec sola anima actus naturales producit, sed utrumque simul. Sicut ergo, ne multiplicentur principia

producenti, tribuimus vim productivam habituum potentiam, non actibus. Sic ne variantur principia productiva, tribuimus eam vim producenti habitus supernaturales utrique principio. Adde immeritò supponi habitus acquisitos per se esse necessarios ad operandum.

OBJICIES Quartò. Omnis habitus aut est supernaturalis aut naturalis. Ens enim adequatè dividitur in naturale & supernaturale. Atqui omnis habitus supernaturalis est infusus, Ergo nullus est acquisitus. Ergo si sit acquisitus, est naturalis. Subsumptum probatur: quia omnis habitus supernaturalis, excedit vires naturæ. Ergo non potest nisi infundi.

RESPONDETUR. Illum habitum acquisitum fore supernaturalem, quamvis autem excedat vires naturæ potest non infundi, sed productivum principio supernaturali, quod ad supernaturalitatem sufficit.

OBJICIES Quintò. Habitūs producuntur in quantum per eos sensibiliter, movetur agens. Jam autem potentia non movetur sensibiliter actu supernaturali: non experitur enim supernaturalitatem.

RESPONDETUR. Nec naturalitatem, quæ talem experitur anima: hoc ipso enim indirecè experiretur supernaturalitatem: nam sciret se moveri tali actu, & tamen sciret experiendo, non esse illum naturalem: & sicut non obstat, quantumvis necesiat actum naturalem eliciens, quod eliciat naturalem actum, quominus adhuc ille actus deserviat productioni habitus naturalis, ita quamvis non discernat supernaturalitatem, qui elicit actum supernaturalem, poterit adhuc produci habitus supernaturalis. Sufficit ergo, non hoc sensu sensibiliter moveri agens, quasi discernere debeat differentiam actuum ratione ordinis, sed hoc sensu, quod experiat, se illos actus actu habere.

OBJICIT Sextò Rip. de Ente. d. 52. Actus supernaturalis non efficiunt habitum, qui conferat potentiam simpliciter posse. Ergo nec eum, qui conferat facile posse: quia conferens facile posse confert simpliciter posse: solus enim ille sufficeret absque infuso: sufficere enim vel unicum principium efficiens supernaturale.

RESPONDETUR. Cum nullus actus sit principium disponens ad suam potentiam, consequenter nec ex actu supernaturali, generabitur habitus infusus, qui est potentia supernaturalis. Tunc autem principium dans facile posse, dat simpliciter posse, quando agens est determinatum non nisi ad talem modum agendi. Sufficit item unum principium supernaturale, si se habeat per modum potentiam, quod non convenit habitui acquisito.

ADDO. Sicut si intellectiva distincta realiter ab anima separaretur ab eadem, remanentes habitus naturales non darent simpliciter posse, sic nec in consortio intellectus dant. Eodem modo

R. P.
THE MŁOD
ZIA NOWSKI
T. B. M. S. C. Z.
D. VI

modo nec habitus supernaturales acquisiti, remanentes v. g. in Peccatore dabunt simpliciter posse.

INSTABIS. Habitus acquisitus faciliat partialiter supplendo conatum & concursum vitalem potentiae, ad quod non est utilis habitus supernaturalis: quia concursus proprius naturalis melius sufficitur per agens naturale, quam per supernaturale.

RESPONDETUR. Concursus potentiae naturalis agentis, per vires proprias, melius sufficitur per vires naturales, sed non agentis actione, quae superat suo ordine omnem creabilem substantiam.

OBJICIT Septimò Rip. d. 53. Actus supernaturales continent efficaciam actuum naturalium, cum perfectiores sint actibus naturalibus, Ergo possunt efficere habitum naturalem.

RESPONDETUR. Actus supernaturales continent efficaciam naturalium, hoc sensu, quia quae objecta possunt attingere actus naturales, possunt attingere etiam supernaturales. Sed non hoc sensu, quasi dicant ordinem vi suorum praedicatorum, ad effectus diversi à se ordinis. Et sicut Angelus potest attingere objecta, quae attingit potentia materialis, nec tamen potest principiare actiones vitales materiales. Ita in presenti.

Fitne simul actus naturalis circa Objectum, circa quod fit supernaturalis.

ASSERO. Quod non.

RATIO Prima est. Quia scilicet nullum est argumentum, & necessitas, quae id probet, facilitasque, quam experiuntur aliqui in agendo etiam supernaturalia, cum sunt in peccato mortali, potest bene referri in habitus supernaturales acquisitos remanentes, & auxilium Dei tunc oblatum.

RATIO Secunda. Quia vel illi actus eliciuntur ex imperio voluntatis; vel ex naturali Sympathia; nihil horum dici potest. Non primum, quia ante istud imperium deberet praecognosci differentia actus supernaturalis & naturalis: non enim eliceret alium actum, si fieret tantum naturalis, sed non praecognoscitur ista differentia, ut jam dictum. Solum enim rationem supernaturalis noscimus secundum rationes communes & abstractas. Non secundum, quia non est explicabile, in quo sistat haec Sympathia naturae non elevatae, ad se elevatae.

RATIO Tertia. Quia vel cognoscit anima se agere supernaturalia, quae talia, vel non. Si cognoscit: Contra erunt dicta, aliàs in materia de supernaturalitate. Sequeturque supernaturale illud, non esse supernaturale, utpote in cognoscendo debitum potentiae naturalis; consequenter nec elicitur tunc jam actus naturalis. Si non cognoscit se agere supernaturalia, Ergo

non est ratio, cur elicere debeat alium actum naturalem: cum illud elicere actus supernaturalis, habeat se ita, ac si non esset elicere actus supernaturalis, & sicut dum producit actus naturalis, non producit simul tunc alius actus naturalis: ita dum producit actus supernaturalis, non erit necesse produci actum naturalem.

DICES. Quando intellectus cogitat & elicit cognitionem spiritualem, quantumvis phantasia non cognoscat cognitionem spiritualem; nihilominus ipsa pro sua parte elicit actum phantasiae, consimilem notiae spirituali. Unde dum cognoscit anima Angelum, phantasiatur etiam Angelum phantasia.

RESPONDETUR. Quod phantasia phantasiatur, cognitione spirituali positâ, provenit id, quia modus operandi spirituales notitias, dependet ab operatione phantasmatum, ex eo ipso, quia homines sumus; talis autem necessitas non urget, ut eliciendo supernaturalia, eliciamus simul naturalia. Rursus scit anima se phantasiare; condistinguitque in actu signato phantasiationem ab intellectu spirituali; licet proprium spiritualitatis conceptum non formet. Jam autem non dependet operatio supernaturalis à naturali, aliàs deberemus prius naturaliter videre Deum, postea supernaturaliter, nec discernit anima etiam in actu signato, actum supernaturalem à naturali.

DIFFICULTAS III.

De Causa Habituum Supernaturalium.

NON est difficultas de Causa materiali habituum: haec enim est ipsamet anima; Nec de formali; quia haec sunt ipsamet praedicata differentialia habituum. Nec est difficultas de causa finali extrinseca, quae est gloria Dei. Nec de causa finali intrinseca, accipiendo nomine illius finem Cui: hic enim finis erit substantia rationalis, complebilis in agendo supernaturalia. Nomine autem causae finalis intrinsecae, accipiendo id *Cujus gratia*, talis causa finalis habituum, erunt ipsi actus, ad quos ordinatur habitus. Est major difficultas de causa efficienti, quae in duplici sensu proponi potest. *Primo.* An actus supernaturales sint causa Physica gratiae, & aliorum habituum? An verò moralis & meritatoria? *Secundo.* An ipsa gratia physicè, an verò moraliter causet habitus secum connexos. Quod ad primam attinet, Communior est sententia Negativa, eam docet Rec. Suar. tr. 7.

Anim. d. 3. S. 1. plures pro ea citans Kon.

d. 2. dub. 2. Amicus to. 3. d. 35.

S. 7. Lug. d. 16. S. 4.

Punctum

Punctum Difficultatis I.

An Actus supernaturales physicè augeant habitus infusos?

Pensanda primùm sunt Argumenta Communis Sententiæ, & quidem

PRIMA RATIO est, quâ utitur Rec. Suar. Kon. & alii. Si habitus supernaturales acquirerentur nostris actibus, hoc ipso jam non essent infusi, sed acquisiti, Sequereturque quòd nos ipsos justificaremus: nam mediante nostris actibus produceremus in nobis formam justificantem.

RESPONDERI potest. Adhuc habitus illos fore infusos: quia nomine illorum veniunt habitus dantes simpliciter posse, quod illis adhuc conveniret. Et sicut quamvis dicantur causari moraliter, nondum ex eo veniunt nomine acquiritorum. Sic nec veniunt, quamvis causentur physicè. Nec inde sequetur, quòd nosmet ipsos justificaremus in sensu à Trid. damnato: tantum enim damnat Trident. si ponamus nos esse causam principalem nostræ justificationis, & si ponamus id à nobis fieri, viribus nostris, ipsumque principium nostræ justificationis, statuamus in manu nostra. Et sicut cum Trident. docet causam meritoriam nostræ Justificationis esse Christum, non sequitur, quòd nos nihil mereamur, sic nec ex eo, quòd Deus sit, qui nos justificat, sequetur, quòd actibus nostris Physicè, non producantur habitus supernaturales. Item quamvis interdum dicantur opera meritoria esse dona Dei, à Deo nobis donata, hoc non obstat, quominus ea dicamur physicè producere. Sic possunt etiam habitus dici infusi, & tamen physicè à nostris actibus supernaturalibus produci.

INSTAT Idem. Pueris in baptismo infunduntur habitus immediatè à Deo, sine ullo actu.

RESPONDETUR. Pueri sicut justificari possunt sine ullo actu proprio, quamvis adulti non possint justificari; ita poterunt in adultis produci habitus supernaturales per proprios actus supernaturales, quamvis illi habitus, per actus, non producantur in pueris.

INSTAT Secundò Idem. Gratia adultis datur in præmium, Ergo jam non est effectus Physicus.

RESPONDETUR. Diverso respectu illam gratiam esse præmium: quia adhuc gratia est, & diverso respectu esse effectum, cum hoc ipsum, quòd sit effectus, sit gratia. Et sicut potest à Rege dari aurifabro in præmium idem annulus, quem ipse fabricavit, & in præmium actus heroici, alius actus heroicus, ita & in præfenti.

INSTAT Tertio. Habitus infusi habent se per modum potentiæ, & sunt causæ æquivocæ

suorum actuum. Jam autem nullus actus, suam potentiam ponit.

RESPONDETUR. Nullum quidem actum naturalem ponere suam potentiam, posse tamen supernaturalem. Et sicut malè quis argueret, nullus actus naturalis meretur naturaliter suam potentiam. Ergo nec supernaturales, idque ideo: quia non est necesse in omnibus similes esse potentias naturales & supernaturales, si aliquid obfit; obest autem ne potentiæ naturales augeantur à suis actibus. Quia potentiæ naturales, vel identificantur potentiis animæ, vel si ab illis distinguuntur, sunt nihilominus tanquam instrumenta naturalia. Et cum per se natura in naturalibus non deficiat, providet natura potentiam simul, quantam potest; adeoque non subdit eam ullo modo actibus, etiam ratione augmenti: quæ ratio non militat pro potentiis supernaturalibus, hoc est habitibus infusis, nec enim ponitur habitus infusus totus simul, quantus potest poni, hinc fit, ut subdi possit habitus supernaturalis actibus, non autem potentia naturalis.

SECUNDA RATIO Amici, Eadem est causationis & productionis formæ; at solus Deus est causa productionis habituum supernaturalium, quod vel ipsum nomen infusionis ostendit, innuitque Trid. Sess. 6. cap. 7. idque supponit illa definitio Aug. quòd virtus sit bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis operatur.

RESPONDERI potest. Argumentum multum probare: probat enim, quòd nec meritorie intendatur gratia nostris actibus, cum infundatur sine nostro merito, v. g. in baptismo, & quamvis augmentum habituum infusorum ponatur ab actibus, dicantur tamen adhuc illi habitus infusi: quia dant simpliciter posse; quia ad illos concurrat Deus tanquam causa specialiter principalis; quia hoc ipsum, quod operamur, Deus facit nos operari; quia Ly infusum opponitur hic debito & exigito, per modum passionis naturalis. Supernaturales autem habitus non sunt tales. Rursus fieri potest, ut aliud sit principium conservativum in naturalibus, aliud productivum. Cur ergo etiam in supernaturalibus, non poterit esse principium, aliud productivum, aliud intensivum.

TERTIA RATIO Amici & Scoti. Non possunt duo specie diversa; mutuo se efficere, vel intendere, sed actus & habitus sunt specie diversa, utpote unum permanens, aliud transiens.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare: quia probat etiam habitus naturales ex actibus naturalibus non intendi. Major ergo vera erit de productionibus univocis, non verò de æquivocis, in quibus aliquid imperfectius alio, in una ratione, potest habere vim producendi aliud, ut calor ignem. Itemque de intentione, quæ fiat in genere causæ formalis: per specie

Re P.
THE MŁOD
zia nowski
Tbm. de. Z.
D. VI

specie enim diversum nihil intenditur, non autem de intentione, quæ ponatur in genere causæ efficientis.

INSTAT Primò Idem. Non potest intendi gratia & habitus à suis actibus tanquam à causa principali: sunt enim imperfectiores habitu; nec tanquam à causa instrumentali: non enim potest ostendi, cujusnam principalis, sint instrumenta, isti actus. Hocque Argumentum pluribus modis diducit.

RESPONDETUR. Diceret aliquis, quòd actus sunt instrumenta naturæ prout elevatæ; negabitque, quòd natura prout elevata, non possit esse causa principalis suo modo, sicut est in visione Beata, causa principalis anima, per ordinem ad vitalitatem. Diceret aliquis actus supernaturales esse instrumenta habituum infusorum. Nam quamvis potentia naturales non habeant vim se intendi, non sequitur non habere eandem potentias supernaturales, de quo supra. Et sicut ex eo, quia non sunt intensibilis potentia naturales, non sequitur intendi non posse potentias supernaturales: Sic nec ex eo, quia non habent vim augendi se mediis actibus potentia naturales, sequetur, non haberi eandem vim, in potentis supernaturalibus. Competetque ipsi gratia & naturæ prout elevatæ, eo casu, ratio nobilioris. Quod si quæras, quòd id fundamento asseratur? Reponi potest, hinc non decerni, quòd ita sit, sed tamen examinari rationes: Cur id non possit tribui actibus.

QUARTA RATIO. Ex Absurdis.

PRIMUM ABSURDUM. Quia sequeretur etiam in Beatis, per actus supernaturales augeri habitus: quia causa necessaria non impedita, semper, & in quolibet subjecto, operatur.

RESPONDETUR; solvendam Amico difficultatem esse: Cur meritorie non augeantur habitus infusi in celo? præcipue, cum teneat non per solam Dei voluntatem, & acceptationem merita constitui. Deinde dici potest ex eo non augeri: quia jam est homo in termino. Et sicut grave in centro non gravitat, quia est in termino, gravitatioque illi providetur ad occupationem centri, ita ut conditio gravitandi, sit negatio centri; ita cum virtutes sint tanquam in centro & termino in Beatis, deest illis conditio necessaria, ut augeri possint.

SECUNDUM ABSURDUM. Quia scilicet sequeretur, quòd contritio physicè in peccatore habitum charitatis erga proximum, cum sit ab eodem habitu charitatis; quod falsum. Quia sequeretur vel hominem per solum actum charitatis justificari, vel certè cum peccato, defacto stare habitum charitatis, quòd utrumque est contra Fidem.

RESPONDETUR quærendo. Cum actus charitatis proximi mereatur augmentum gratiæ, cur etiam in peccatore non augeatur? & quæ ratio adferetur, etiam à nobis usurpabitur,

si sit legitima. Diciturque insuper potest, quòd actus charitatis in debitis circumstantiis augeat habitum, nempe cum proficiscitur ab anima sufficienter averta ab omni offensa Divina. Sicut enim v. g. anima rationalis, non exercet vim sensitivæ, nisi in debitis circumstantiis, idque ob indispositionem naturalem subjecti, sic nec actus charitatis proximi augeat habitum, nisi in debitis prærequisitis status supernaturalis, hoc est, sufficienti aversione à peccatis. Cæterum si actus charitatis proximi esset simul amor virtualis Dei super omnia, & aversio virtualis à peccato, conversioque ad Deum, concederet quis sequelam quoad aliqua.

TERTIUM ABSURDUM ex Rosmer. Sequeretur, quòd etiam dum peccator exercet actus supernaturales augeat in se habitus infusos: quia causa necessaria cum ponitur, producit suum effectum.

RESPONDETUR. Causam necessariam produgere suum effectum in circumstantiis & prærequisitis, quòd in præsentibus non est: quia deest esse supernaturale gratiæ, cui subserviunt virtutes operative. Sicut oculus non videt absente anima: quia subservit vitæ.

QUINTA RATIO ex Rip. hinc d. 51. Nullus est actus adeo perfectus, supra quem non sint possibiles alii perfectiores. Nullus actus est adeo perfectus, quem sua activitate non contineat habitus, Ergo habitus supernaturalis excedit perfectionem actus, Ergo illum producere non potest.

RESPONDETUR. Non esse adeo certum, quòd aliquis actus supernaturalis non superet vires potentia supernaturalis: quia cum illa potentia revera intendatur, etiam vis agendi ejus intendi poterit, per extraordinarium v. g. concursum, quæ intentio per extraordinarium concursum, facere poterit, ut actus ponatur, cæteroquin non ponendus, si non accessisset extraordinarius concursus, vi cuius doctrinæ negatur hæc propositio: Nullus actus est adeo perfectus, quem sua activitate non contineat habitus, sed etiam hoc concessio, negatur consequentia, negatur item hæc, quæ hinc supponitur Major: Actus, qui continetur in activitate habitus, & qui actus potest esse semper major & major, non potest producere illum habitum; & quamvis habitus sit longè præstantior, quam actus, non obest, quin producat ab actibus, quia causa æquivoca, potest in aliquo, esse imperfectior suo effectu.

SEXTA RATIO. Habitum elevat imbecillitatem potentia, actus autem non elevat. Ergo non potest continere virtute sua activa, perfectionem habitus.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam; quia causa æquivoca potest in aliquo genere, non esse æqualis effectui. Rursus ipse actus, & ipse est formalis elevatio, exerciti-

citiumque potentia elevata; Cur ergo se extendere non poterit ad producendum elevatum.

SEPTIMA RATIO Rosmer. Actus causant habitus solum moraliter, movendo Deum, ut illos producat; hinc oritur, quod habitus misericordiae augeatur per actus Justitiae.

RESPONDETUR. Argumentum procedere de eo, quod est defacto; non de eo, quod posset esse. Deinde saltem suos proprios habitus augere poterunt Actus. Denique non repugnat, ut ejusdem sit principium duplex & meritorium & physicum. His rationibus Communis sententiae spectatis, cui non nisi censetur Medina se opposuisse, & aliqui tacito nomine apud Tannerum. Ad decidendam difficultatem.

ASSERO PRIMò. *Non implicare Contradictionem, quod ab actibus supernaturalibus, intendatur physicè habitus illis proprius.* Vel si teneas actibus non inesse vim productivam habituum, proportionaliter dices, non implicare Contradictionem, ut positus actibus producat habitus physicè, vel ab anima elevata & gratia, vel ab anima elevata & habitu infuso.

RATIO, quia nulla in hoc implicatio.

ASSERO SECUNDò. *Respectu non nisi propriorum habituum posse id concedi actibus.*

RATIO, quia cum aliis habitibus non apparet, quem nexum haberent.

ASSERO TERTIò. *Defacto id non fieri.*

RATIO. Sensus Communis Theologorum in rebus ceteroqui arcanis.

Punctum Difficultatis 2.

An Gratia physicè producat Habitum infusos?

PRODUCI physicè tenet Gran. citans pro se S. Th. & Capreol. consentitque Ripalda de Ente supern. d. 221. n. 12. Oppositum sentiunt communiter alij; & post illos Lugo d. 16. S. 1. Videndae rationes utriusque partis.

Pro negante Sententia.

RATIO Prima est, quae utitur Lugo. Quod scilicet passiones & potentiae naturales non producantur per physicam efficientiam naturam, sed producantur à generante: imò nec in conservari, dependent ab essentia: quia sicut in locum generantis succedit alia conservans causa, ita eadem est conservativa passionum: conservans enim formam, conservat etiam consequentia ad formam.

RESPONDETUR. Quod denominativè productio passionum tribuatur generanti, in re tamen ipsa, forma, emanat ex se illam passionem, passiones quidem Metaphysicae per physicam emanationem non fiunt secus physicae. Et

certe sicut aqua remoto igne reducit se ad pristinum frigus per veram efficientiam physicam; ita & primò illud emanat ex se. Habitus autem charitatem subsequentes, suppono esse distinctos realiter à charitate: quia de illis tanquam de pluribus virtutibus, cum gratia nobis venientibus, loquuntur PP.

INSTAT LUGO. Solum ex passionibus produci possunt physicè, quae determinatè ab essentia exiguntur; unde materia prima non producit formam: quia indeterminatè illam exigit. Angelus item indeterminatus ad existendum hic, exigit, ut hoc Ubi, accipiat primò à Deo, &c. Gratia autem habitualis, non exigit habitus infusos determinatè. Unde in via non habet conjunctum sibi lumen gloriae, in Patria habitum fidei.

RESPONDETUR. Saltem eos habitus posset producere physicè gratia, quos determinatè exigit. Rursus, quamvis indeterminatè illas passiones exigeret, non obest, quo minus adhuc physicè illas possit producere, modò determinetur à Deo oblatione concursus: quia etiam aqua non est determinata ad hoc numero frigus, & tamen physicè illud ex se emanat, saltemque non implicat Contradictionem, talis physica productio passionum indeterminatarum, posita determinatione Divina, quae fiat per oblationem concursus. Instantia adlatæ non conveniunt. Nam ad illud, de Ubi dici potest; illud non esse distinctum, nec haberi principium, à quonam, antecedenter ante ipsum esse producatur, habetur autem principium, ex quo effluant habitus infusi, nempe gratia; quod agens debeat producere formam, & non materia, non proficiscitur id merè ex indifferentia materiae ad formam, sed ex eo, quod ad ipsum esse materiae, quae talis, non pertineat forma, emanantur autem non nisi ea, quae spectant ad complementum esse, ipsius emanantis. Jam autem gratia ad esse ipsum suum quae tale, exigit habitus, tanquam suas passiones. Quod item Angelus non producat physicè aliquas in se species impressas, non debet referri in indifferentiam, sed quia spectabat ad providentiam Divinam, substantiam completam intellectualem, proximè instruere, & aptificare ad operandum. Sed de hoc alibi. Quando autem dicit Lugo, habitus fidei vel luminis, habere se, sicut potentiam intellectivam; habitum verò charitatis & alios sicut potentiam volitivam, non est autem juxta rerum naturam, ut gratia habitualis sic radix aliorum habituum physicè, non autem habituum, qui sunt sicut potentia naturalis intellectiva, id etiam non convincit: quia si non est contra ordinem naturae, non posse principiare formam substantialem suam, & tamen posse principiare formam accidentalem, v. g. quantitatem; sic nec in presenti erit, nec sequetur quidquam contra ordinem naturae. Quod autem non esset secundum ordinem

R. P.
TH. M. LOD
ZIANOWSKI
T. B. M. S. E. Z.
D. VI

dicem naturæ, si anima adferret secum potentiam volitivam, & non intellectivam, id referri in hoc debet in nostris principis: quia istæ potentia sunt indistinctæ realiter ab anima. In aliorum autem sententia hæc ratio adferri potest; quia pro statu naturæ, non est reperibile intellectivum sine volitivo, & volitivum sine intellectivo. Jam autem pro statu supernaturali, potest esse intellectivum supernaturale fidei, sine volitivo supernaturali, hoc est charitatis habitu, quam aliàs identificamus gratiæ. Qui illam non identificant, referent connexionem charitatis cum gratiâ, in Auctoritatem Sacram, ita, ut, sicut potest esse habitus fidei sine gratiâ, possit esse & sine charitate, quæ sequitur gratiam.

INSTAT Secundò. Sicut gratia est indifferens ad hos vel illos habitus supernaturales pertinentes ad intellectum; ita est indifferens ad hos vel illos pertinentes ad voluntatem; & hoc patet in habitu spei, imò & in habitu charitatis: actus enim amoris Beatifici, ex diverso modo attingendo objectum, diversus erit, consequenter à diverso habitu procedet.

RESPONDERI potest. Negando, quòd ii etiam habitus physicè principiari non possint, qui indifferenter exiguntur, modò determinetur gratia, exhibitione concursus, ad hos vel illos potius principiandos. Charitatis habitus idem manet: quia Paulus dicit Charitatem non evacuari, evacuaretur autem; si illi substitueretur alia Charitas. Sicut evacuatur lumen fidei, cum illi substituitur lumen gloriæ. Nec valet, quòd ille actus sit distinctus modo tendendi. Si enim voluntatem non est necesse esse distinctam, quæ amat necessariò bonum in communi, à se ipsa amante liberè bonum: ita nec id charitati attribuendum. Et sicut potentia potest elicere speciem distinctos actus, sic & Charitas. Dicit etiam potest, quòd proprietates quarti modi omni, soli, & semper tribuantur: eæ tamen, quæ indifferenter exiguntur, possunt adhuc habere nomen, & rem proprietatis, adeòq; emanabilis physicè pro tali statu: sicut Canities non competit homini pro omni statu, sed solum in Senectute, & tamen est proprietas hominis physicè ab eo procedens, & non ab extrinseco.

INSTAT Lugo. Lumen gloriæ non se habet respectu gratiæ, sicut canities respectu hominis; Canities enim habet connexionem determinatam, cum ipso physico statu & intrinseco hominis. At verò Lumen gloriæ non habet connexionem physicam, cum statu physico ipsius gratiæ. Nam status viæ involvit Decretum Dei extrinsecum, decernens tantum, vel tantum tempus ad merendum. Nihil ergo est physicum intrinsecum in ipsa gratiâ, vel in subiecto illius, à quo physicè determinetur gratia, ad producendum physicè Lumen gloriæ.

RESPONDERI potest. Sicut canities non habet connexionem physicam cum esse intrinse-

co hominis simpliciter, sed cum esse hominis pro eo statu; sic etiam Lumen gloriæ, non habet connexionem physicam cum gratiâ, pro quocunque statu; sed pro statu termini. Et sicut per oppositos non producit Deus in via lumen gloriæ: quia illud non exigit gratia pro statu viæ: quantumvis exigentia illa sit fundata, in ipso esse physico gratiæ, ita nec illud ex se emanabit physicè, pro statu viæ, gratiâ. Et sicut status termini, qui involvit extrinsecum Dei Decretum, non impedit, quo minùs Deus ad exigentiam gratiæ, quæ fundata est in ipso esse physico gratiæ, censetur producere lumen gloriæ: sic nec impedit idem Decretum, quo minùs in Decreti illius circumstantia, positâ gratiâ, principiet physicè illud lumen: sicut in circumstantia Decreti talis durationis viæ, ipse homo principiat physicè canitiem. Quod si quæras, quòd sit illud esse physicum gratiæ, cum quò connexionem physicam dicit lumen? respondebitur esse illud ipsum, quòd dicent oppositi, deponere à Deo, ut in his circumstantiis producat Lumen gloriæ, quòd deponere, est identificatum gratiæ.

SECUNDA RATIO ex eodem. In peccatore manet fides & spes, ut scilicet actus fidei & spei, qui necessarij sunt ad conversionem, & recuperationem gratiæ, connaturalius fiant ab habitu, quàm fierent à solo auxilio extrinseco; quæ ratio congruentiæ deficeret, si habitus hi connaturaliter exigerent conservari ab habitu gratiæ, quam conservationem tunc Deus seipso supplet.

RESPONDETUR. Idem argumentum solvi oportere à Lugo. Certum enim est, quòd saltem habitus producantur à Deo, ad exigentiam physicam gratiæ, consequenter etiam conserventur ad ejusdem exigentiam, quomodo autem conservantur ad exigentiam gratiæ habitus fidei & spei in peccatore, cum in illo non maneat gratia exigens illam conservationem? quòd si conservatur habitus fidei & spei in peccatore ad exigentiam gratiæ, quomodo dicitur conservari illos, ut connaturalius eliciantur actus fidei & spei, cum conservatio illorum non sit connaturalis. Quòd si dicas illos habitus non conservari ad exigentiam gratiæ, sed non nisi alios, idem in præsentia dici potest. Quid si dicat aliquis gratiam aliquorum habituum esse productivam, & conservativam, quales sunt habitus morales, & habitus charitatis identificatus gratiæ, ita tamen, ut dentur habitus alij, quos producit physicè, non conservat, gratia, & tales esse fidem & spem; poteritque hæc Responso firmari ex proportionem esse supernaturalis cum naturali: in quo esse naturali sunt aliqua, quæ ita sunt productiva, ut simul sint conservativa, ut objecta respectu specierum; aliqua ita productiva, ut non sint conservativa, sicut sol producit calorem, non conservat; consequenter poterit gratia producere habitum fidei & spei, non illum conservare, dum abest.

TERTIA RATIO est, quia habitus isti, vocantur infusi per se, non vocarentur autem per se infusi, si ab aliqua causa creata produci possent.

RESPONDERI potest. Vocari istes infusos habitus, ut condistinguantur à facilitantibus, & merè naturalibus. Nec obstat, quòd in Angelo gratia, v. g. non producat habitum Castitatis: quòd enim habitum castitatis non habeat Angelus, non debet in id referri, quia non infunditur illi castitas, sed quia non emanat illum ex se physicè gratia, quæ agere debet secundùm circumstantias, & capacitatem subiecti: sicut ipsa gratia constituit filium adoptivum, & tamen non tribuit hoc Christo, non est autem Angelus subiectum capax castitatis.

QUARTA RATIO. Existis, quas adfert Ripalda. Plures habitus existunt intensiores gratiâ habituali, Ergo non fluunt physicè à gratia, aliàs fieret aliquid contra proportionem causæ & effectûs. Antecedens probatur; peccator fidelis eliciens actus fidei, intendit habitum fidei; cum autem remissâ contritione se disponit ad gratiam, recipit illam in gradu remisso, juxta remissionem charitatis.

RESPONDETUR. Argumentum à fide non urgere, cum possit concedi illam physicè non produci à gratia. Deinde cum peccatori tota gratia reddatur, quam antea habuit, & simul augetur ratione actûs remissi, non debet dici, quòd peccatori reddatur gratia in gradu remisso, sed in quali illam præhabuit, unaque cum Augmento.

QUINTA RATIO. Potest salvari tota ratio naturæ, in gratia comparata ad alias virtutes infusas, quamvis illi non tribuatur efficientia physica earundem.

RESPONDETUR. Saltem servandam esse proportionem cum esse naturali emanante ex se suas passiones, quam proportionem nihil vetat servari.

SEXTA RATIO. In gratia non recipiuntur virtutes, Ergo nec ab ea emanantur physicè.

RESPONDETUR. Ut idem sit principium receptivum & effectivum, solùm requiritur ad conditionem vitalitatis. Certè enim calor, quem principiat physicè ignis, non recipitur in forma, sed in materia.

INSTABIS. Casu quo potentia distinguantur ab anima, subiectum illarum erit anima, non materia, Ergo & subiectum habituum deberet esse gratia, & non anima. Ergo, si non sit eorum subiectum, nec erit illorum principium.

RESPONDETUR. Etiam ipsum subiectum quæri debere proportionatum, si fieri possit. Jam autem non adest proportio inter materiam & potentias spirituales, quæ est inter animam & habitus spirituales. Cumque adhuc gratia non sit substantia, cujus est proprium substare accidentibus, potius petent habitus recipi in anima, quantumvis posset dici illos recipi

in gratia, eo modo ac alia accidentia in Quantitate.

SEPTIMA RATIO. Non potest dari causa creata, quæ efficiat gratiam sanctificantem. Ergo neque quæ efficiat habitus supernaturales.

RESPONDETUR. De Antecedenti dubitari posse. Interim Disparitas est; quia gratia habet se per modum ipsius esse supernaturalis, consequenter non dabitur quidquam creatum esse supernaturali, in quod tanquam creatum quid, in ordine supernaturali revocetur gratia, quasi in suum principium supernaturale, nam ante esse, operari non supponitur; quod ipsum esse supernaturale potest habere rationem priorem respectu habituum, adeoque effectivi.

Quod attinet ad fundamenta Contraria Sententia.

PRIMUM FUNDAMENTUM est Auctoritas S. Th. qui l. 2. q. 110. a. 4. ad 1. ait, Sicut ab essentia animæ effluunt ipsius potentia, quæ sunt operationum principia, ita & ab ipsa gratia effluunt virtutes, per quas promoveatur, ad actus.

RESPONDERI posset, effluere illas physicè exigitive: quia producuntur à Deo ad exigentiam gratiæ, licet non effluant per ipsam acceptioem, esse, à gratia. Rursus non docet S. Thomas pariter se habere in modo effluendi animam & gratiam, licet utraque habeat suas passiones.

SECUNDUM FUNDAMENTUM est. A natura emanantur passiones suæ, Ergo & à gratia.

RESPONDETUR. Non esse necesse in omnibus hæc æquiparari, præcipuè cum ob sint Argumenta, quæ prætendunt oppositi.

Punctum Difficultatis 3.

Determinantur Afferenda.

PENSATIS Argumentis utriusque partis. **ASSERO** Primò. Non implicare Contradictionem, quòd gratia physicè causet habitus suos, idque secundum vim sibi innatam.

RATIO. Quia id non implicat Contradictionem.

ASSERO Secundò. Probabilius est, quòd saltem aliquos habitus physicè causet gratia.

RATIO. Tum quia: si nihil obest, debemus causas rerum particulares assignare, & non recurrere ad Deum; nulla autem particularior causa illorum habituum assignari potest, quam gratia. Tum quia: quodcunque fundamentum haberi potest, quòd posito igne sequatur calor, causeturque physicè, & non producat à Deo, non nisi ad exigentiam ignis, idem hic habebitur. Et sicut posito igne ponitur calor, & non posito, non ponitur: ita posita gratia ponuntur habitus saltè aliqui, & non posita, non ponuntur.

Tum

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tom. I. et. 2.
D. VI

Tum quia: ut vidimus in solutione Argumentorum, nihil obest, quominus esse naturale sequatur ipsa gratia in emanatione physica suarum passionum.

ASSERO Tertiò. *Probabilius est imprimis non produci physicè à gratia Lumen gloriæ, & scientiam infusam, nec fidem aut spem.*

RATIO. Quia Lumen gloriæ habet se potius per modum præmii, & scientia infusa tanquam effectus liberalitatis Divinæ. Jam autem, quæ per modum passionum producuntur, non se ita habent. Probabilius item est non produci physicè fidem & spem: quia ipsa separabilitas istorum habituum à gratia, non tantum distinctionem realem eorundem importat; sed etiam & jus existentia sine gratia. Cumque nulla sit ratio, quòd hi duo habitus physicè debeant produci, probabiliter inferri poterit, quòd non nisi per ordinem ad alios habitus, cum quibus interiorius connectitur gratia, habeat rationem emanativi; potestque adhuc esse in hoc proportio in naturalibus, quia sicut formæ præsupponunt aliquas dispositiones, quas non causant physicè: ita & gratia præsupponet fidem & spem.

DICES Primò. Quamvis calor conservetur sine igne, non rectè inferimus, non produci illum physicè ab igne. Ergo etiam, quamvis sine gratia conservetur fides & spes non rectè arguetur, non produci illos à gratia.

RESPONDETUR. Præcisè quidem id exinde totaliter non colligi, sed hoc supposito, exinde simul suaderi, quòd physicè à gratia non producantur, quia discurrendo ex proportione naturalium ad supernaturalia, si nihil obest, debemus ponere aliquas fixas dispositiones supernaturales, correspondentes fixis dispositionibus naturalibus, antecedentibus esse naturale, & hæc dispositiones in ordine supernaturali sunt fides & spes.

DICES Secundò. Non esse idem fundamentum, quòd habitus producantur physicè à gratia, quòd fundamentum est asserendi, quòd calor physicè producatur ab igne: idque ideo, quia Deus respectu effectuum naturalium, habet se ut causa specialis, quando desunt causæ secundæ, supernaturalia autem Deus concursu speciali producit.

RESPONDETUR. Ex eo, quòd Deus producat supernaturalia speciali concursu, non licet inferre, non dari causam supernaturalem, aliàs nec actus nostros supernaturales physicè produceremus. Specialitas ergo concursus Divini ad supernaturalia, solum ostendit, quòd Deus concurrat concursu indebito.

DICES Tertiò. Ex eo ignem non esse productivum caloris, solum moraliter: quia nullum est fundamentum, quòd illum solum moraliter causet.

RESPONDETUR. Nec etiam haberi funda-

mentum, quòd gratia habitus non causet physicè.

DIXI autem probabilius esse, quòd gratia physicè non emanet fidem & spem: quia probabile est, quòd etiam illos emanet physicè, ita, ut secundum naturæ suæ conditionem, non possint antecedere infusionem charitatis, imò nec conservari, nisi ex speciali Dei dispensatione; quod ne quidem ipsum tenetur quis dicere, si sentiret in primo quidem produci, pendere illos habitus à gratia, non tamen in conservari.

Punctum Difficultatis 4.

An habitus Fidei prius infundatur, quam habitus Charitatis?

Quod hinc dicitur de habitu charitatis, proportionatè applicandum erit de habitu fidei. Non procedit autem difficultas de infantibus, quibus in baptismo simul duratione, omnes illi habitus infunduntur; sed procedit de adultis, an scilicet, cum prius convertendi eliciant actum fidei, quàm actum amoris, prius etiam illis infundatur habitus fidei, quàm habitus charitatis. Affirmat Suar. Vasq. Kon. d. 16. in fin. Amicus d. 15. S. 4. n. 93. Negat Lugo d. 16. S. 2.

Argumenta partis Affirmativa.

PRIMUM ARGUMENTUM est. Potest conservari in peccatore fides & spes sine charitate. Ergo & primo produci.

RESPONDERI posset negando Consequentiam. Eò quòd Trident. doceat nos de Antecedenti, & nõ doceat de Consequenti congruitque, ut illi habitus ad exigentiam gratiæ producantur, tanquam proprietates ad exigentiam ipsius esse supernaturalis, quàm exigentiam non dici à gratia, non ostendit arguens.

SECUNDUM ARGUMENTUM est Amici. Sacramenta conferunt suos effectus omnibus obicem non ponentibus, sed qui ad baptismum accedit sufficienter dispositus ad fidem, etiam si non accedat sufficienter dispositus ad gratiam, accedit sine obice ad habitum fidei, esto accedat cum obice ad gratiam, Ergo illi infundetur fides.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum multum probare: probaret enim, quòd si quis esset dispositus per actus iustitiæ, & non per actus amoris, prius illi infunderetur iustitia, quàm gratia, quòd est contra Communem. Deinde dici posset duplicem obicem cogitari posse, quendam positivum, pravæ affectionis nolendi v. g. credere, alium negativum, hoc est non positivum prærequisitorum, qui etiam obex auferri debet: quia hoc ipso non essent illa prærequisita, si illis non ablati, res, ad quam prærequiruntur,

(9) 2 pone-

poneretur. In presenti ergo, aufertur tunc quidem positivus obex, non aufertur tamen negativus. Inter prærequisita enim est, positio ipsius gratiæ, exigentiæ reliquorum habituum, quam exigentiam non dari in gratia, probandum fuisset. Et licet quidem characterem producat baptismus non producendo gratiam, non sequitur, quod etiam infundi possit fides, non infusa gratia; quia Sacra Auctoritas docet semper produci characterem, tanquam semen & virtutem in probabili sententia, ut postea producat gratiam: doctrina autem sacra non docet, produci fidem ante infusionem primam gratiæ.

TERTIUM ARGUMENTUM est ex Kon. d. 6. dub. 4. In fidei peccatore ideo relinquitur habitus fidei & spei: quia cum adhuc verè sit fidelis, convenit, ut adhuc aliquid reale in se habeat, quo etiam dum nihil agit, sit & determinetur intrinsecè fidelis, & potens actus fidei exercere, atqui dum aliquis ab infidelitate conversus, priusquam habeat habitum charitatis, verè & ex animo credit, est verè fidelis. Ergo etiam debet habere habitum; aliàs dum actu non credit, non esset vere ac formaliter realiter fidelis; sed solum denominatione quadam extrinsecà ab actu præterito.

RESPONDETUR. Argumentum probare multum; probaret enim habitum justitiæ infundente habitum charitatis, casu quo actus justitiæ exerceatur ante actum charitatis. Sicut ergo in hac materia sufficit denominari justum ab actu præterito; ita sufficere denominari fidelem.

QUARTUM ARGUMENTUM à Pari. In ordine supernaturali dantur aliqui actus, qui non exigunt procedere à charitate actuali, Ergo & dabuntur habitus, quorum productio non sit connexa cum productione habitus charitatis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: qui si non dantur aliqui actus non procedentes ab habitu charitatis, hoc ipso nec darentur habitus distincti à charitate, quos dari supponitur. Nullum autem simile absurdum pro Antecedenti urget. Quando autem ex eo, quod gratia habitualis requirat aliquas dispositiones, urgetur illam non esse primam radicem in ordine ad omnes operationes supernaturales, id non convincit; quia etiam ante animam requiruntur dispositiones; & tamen anima est etiam radix omnium operationum viventis. Deinde gratia in adultis requirit attritionem pro dispositione, & tamen oppositi, non ponunt apte attritionis actum, charitatem.

QUINTUM ARGUMENTUM ex Trident. Sed de hoc infra,

Pro Parte Negativa.

PRIMA RATIO est, quam etiam proponit Kon. & objicit Lugo, quia Baptismus de se habet efficaciam ad infundendum habitum fidei, & aliarum virtutum, ut juxta probabiliorem

sententiam decernit Pontifex in Clement. unice; de summa Trinit. & constat ex Cap. Majoribus de baptismo. Si autem habitus fidei infunderetur, cum primùm credit adultus, hoc ipso per se fides in baptismo non infunderetur, sed per accidens.

RESPONDERI potest. Retorquendo argumentum. Sacramentum Pœnitentiæ, est Sacramentum mortuorum, natum per se conferre gratiam, & tamen hoc non officit ejus efficaciam, si doleat peccator ex amore Dei. Sicut ergo tunc Sacramentum Pœnitentiæ per se adhuc justificat: quia Contritio illa non justificat, nisi cum voto implicito Confessionis: ita quia fides illa in tantum meretur infusionem habitus in adulto, in quantum ex annexa voto baptismi implicito, adhuc baptismo tribueretur.

Quod autem attinet ad verba Trident. in quibus dicitur Cathecumentum petere ab Ecclesia fidem, id eo sensu accipi potest, quod petat instructionem in Doctrina fidei, & baptismum, qui quantum est ex illo, est infusus habitus fidei.

INSTARI potest primò ex Trid. Sess. 6. cap. 7. Ubi docet Tridentinum nos in baptismo fidem spem, charitatem simul infusa recipere.

RESPONDERI potest. Hæc simul recipi, scilicet per se, & quantum est etiam ex vi baptismi. Finis etiam Concilii, ut ait Amicus, erat, enumerare dona & virtutes, quæ in justificatione conferuntur, contra Hæreticos, contendentes nos justificari ex infuscà imputatione justitiæ Dei. Non erat autem mens Trident. definire, si mulnè tempore, an non omnes illi habitus infundantur, quo etiam modo explicari debet Viennense.

INSTARI potest secundò ex Lugo. Si fides supponatur in adultis ante baptismum: postea evenit, quod in adultis, ne quidem augetur fides in baptismo; quod ipsum probatur: quia sæpe accidere potest dispositionem ad fidem esse intensiorem, quàm dispositionem, quæ postea ponitur ad gratiam, & per consequens habitum fidei infusum esse intensiorem, quàm postea infundatur charitas. Quare cum fides & aliæ virtutes solum infundantur, quando infunditur charitas, propter connexionem quam habent cum charitate, & juxta intensionem illius, non augetur fides in eo casu, cum jam supponeretur excedens mensuram charitatis.

RESPONDERI potest. Cum per nos gradus intensionis sint homogenei, quacunque additione gradus augebitur, & intendetur fides, augebiturque juxta mensuram charitatis, non comparando illam charitatem ad fidem & gradus præhabitos, sed non nisi ad augmentum, quod hic & nunc datur fidei, quod solum augmentum mensuratur charitate.

INSTAT tertio Lugo. Ex dictis sequi: quod fides possit esse intensior charitate.

RESPON-

R. P.
THE MŁOD
ZIA NOWSKI
Bm. de. Z.
D. VI

RESPONDETUR. Posse esse fidem intensiorem charitate in adultis, si ante dispositionem ad gratiam, ponantur actus fidei. Retorque etiam potest Argumentum, quod videtur probare gratiam non posse infundi ante Sacramentum Pœnitentiæ, eò, quod non posset postea auferri in Sacramento Pœnitentiæ: quia fieri potest, ut sit intensior amor Dei, ante confessionem, dispositio autem immediata ad confessionem valde remissa. Ex quo inferes principium illud Lug. nempe non posse augeri habitum præcedentem, si sit remissior dispositio ad gratiam Sacramentalem, principium inquam illud non tenere.

SECUNDA RATIO est. Non debere ante infusionem gratiæ infundi habitum fidei, probat ipsa essentia gratiæ habitualis, quæ ideo est forma justificans, & faciens filium Dei adoptivum, quia ad eam consequuntur potentia & operationes supernaturales, ex quo conceptu sequitur, quod sicut habitus infusus, aliarum virtutum, sic etiam habitus fidei, debeat ex ipsa gratia dimanare; quod ipsum probatur: quia non potest esse aliqua natura principium volendi, quæ non sit principium intelligendi. Cum ergo gratia in ordine supernaturali sit prima natura & radix habituum, qui sunt in voluntate, eadem gratia debet esse principium cognoscendi, in eodem ordine supernaturali, adeoque principium fidei.

RESPONDETUR. Non in omnibus debere servari proportionem naturæ & gratiæ, sed non nisi in iis, de quibus fundamentum habetur, Tu autem fundamentum non adfers, quare proportionari debeat in hoc, quod est, esse radicem actualem habitus huius supernaturalis intellectivi.

INSTAT Primò Lugo. In Patria locò Fidei succedit Lumen gloriæ, cujus gratia est radix, Ergo & in via, erit gratia, radix fidei. Si enim est semel radix gratia in ordine ad cognoscendum, semper erit.

RESPONDETUR. In istis etiam principiis, Antecedens negando. Lumen gloriæ enim potius habetur tanquam præmium meritorum, non autem tanquam quid fluens ex radice, quæ radix sit gratia.

INSTAT Secundò. Si habitus fidei juxta suam naturam ponitur absque gratia habituali, deberet utique in eo statu habere secum alios habitus infusos in voluntate: omne enim principium cognoscitivum, connaturaliter loquendo est appetitivum, Ergo eo ipso, quod Deus elevet hominem ad gradum cognoscitivi in ordine supernaturali, deberet eodem modo illum elevare ad gradum volitivi, nec sufficit, quod Deus elevet per auxilium ad volendum. Sicut non sufficit exigentiæ intellectus naturalis, si per auxilium extrinsecum, suppleatur defectus potentia volitiva.

RESPONDETUR. Non adferri rationem quæ convincat in hoc esse similem gratiam naturæ: nam etiam per oppositos certum est, ablatâ animâ auferri intellectum, & tamen ablatâ gratiâ, non auferitur fides. Non sufficit autem, ut Deus per aliquod extrinsecum suppleat defectum potentia volitiva, quia illo suppletivo posito, non salvatur ratio operantis ab intrinseco, quam rationem intendit natura, posito autem solo habitu fidei, salvabitur ratio elevati.

INSTAT Tertiò Idem. Aliæ virtutes morales infusæ veniunt & abeunt simul cum gratia, Ergo etiam fides & spes.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare: quia probat habitum fidei amitti cum gratia, sicut amittuntur alii morales supernaturales. Dicentque oppositi, quod se sufficienter tueantur ratione à posteriori, quia cum doceat fides, quod habitus morales posita gratiâ ponantur, sublatâ tollantur: potestque illa habere rationem radicis, utpote tanquam natura in ordine supernaturali: benè inferunt causari illos habitus à gratia: Tale autem fundamentum, non habetur, circa fidem & spem.

TERCIA RATIO est ex Lug. Quamvis possit poni talis habitus fidei, qui non præsupponat positionem gratiæ, tamen is, qui defacto datur præsupponit positionem gratiæ: ille enim habitus est magis supernaturalis in sua substantia, facilius autem est, admittere supernaturalitatem quoad modum in hoc, quod habitus ponatur vel conservetur, quando non debeat esse, quam ponere illam substantiam fidei ad eò supernaturalem, præcipuè cum omnis habitus infusus, connaturaliter loquendo, debeat esse passio alicujus primæ radicis, quæ non alia, nisi gratia.

RESPONDETUR. Nomine supernaturalis quoad substantiam, venit supernaturale quoad Entitatem; neque enim gratia est aliqua substantia, quæ supernaturalitas æquè salvabitur, quantumvis non præsupponat fides, positionem gratiæ. Illa propositio: Omnis habitus infusus, debet esse passio alicujus primæ radicis, salvari potest in præsentem per hoc: quia quamvis fides non sit passio propria: hoc est, emanata à gratia, est tamen passio improprie; quia scilicet quamvis antecedere possit positionem gratiæ, non tamen ponitur, nisi ad prædisponendum statum secutura gratiæ, non ab simili modo, quo formæ partiales vel dispositiones, non præsupponunt positionem animæ viventis, & tamen ordinem dicunt, quantum ex illis, ad animam viventem, licet illa & antecedant & sequantur formam viventem.

Resolutio Difficultatis.

ASSERO. Probabilius esse, quod habitus fidei connaturaliter produci possit, ante positionem gratiæ.

(9) 3 RATIO

RATIO Prima Asserti est, quia talis habitus non implicat, & talem defacto selegisse Deum probabile est; quia, vel facit Deus contra exigentiam gratiæ, & ipsius habitus fidei, conservando illum sine gratia in peccatore; vel non facit contra istam exigentiam. Si facit. Ergo non facit; quia ut Auctor supernaturalium, accommodans sese ipsorum supernaturalium naturæ, debuit potius eligere habitum fidei, connaturaliter stantem sine gratia, sciens quod id deberet non raro contingere. Si autem non facit contra exigentiam gratiæ, conservando habitum fidei independentem à gratia. Ergo apparet, quod conservet illum independentem à gratia, & quod illa ipsa fides habeat jus etiam primo ita connaturaliter existendi.

RESPONDET Lugo. Fore miraculum, si non maneat in peccatore fides: esset enim id contra legem universalem statutam à Deo, quæ tamen lex iustas ob causas fuit contra exigentiam connaturalem ipsorum habituum.

CONTRA est. Quia hoc ipsum impugnatur. Cum potuerit Deus eligere habitum fidei, cui non esset contra naturale manere sine gratia, talem censendus est selegisse, utpote quantum fieri potest, accommodans sese, exigentis rerum, faciensque sine miraculo id, quod ordinariè fit, & potest fieri sine miraculo.

RATIO Secunda. Sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, sic nec principia dependendi, & supponendi existentiam aliorum Entium. Sed nulla est necessitas, ut existentia habitus fidei, dependeat ab existentia charitatis, præcipuè cum in multis deficiat proportio, inter cognitivum naturale, & inter cognitivum supernaturale.

RATIO Tertia est ex Trident. Sess. 6. cap. 7. *Fides, inquit, nisi ad eam, accedat spes & charitas, neque unitè perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Ubi videtur supponere antecessorem fidei ante charitatem, cum dicat fidei, accedere charitatem. Recurrere autem ad solam antecedentiam rationis, non est accipere simpliciter verba Trident.

Punctum Difficultatis 5.

De Intensione Habituum Supernaturalium.

PLures in hac materia Sententias ponit Amicus T. 3. d. 35. S. 8. Cum Communissima Nostrorum Sententia.

DICENDUM est. *Quocunque etiam remisso actu, intendi habitus supernaturales.*

PROBATUR Primò. Quia nullum est fundamentum, negandi hanc vim actibus, etiam remissioribus.

PROBATUR Secundò principaliter. Quia verba Trident, ut sonant sunt accipienda, quæ

simpliciter enuntiant operibus nostris bonis augeri gratiam; sic enim habet Sess. 6. Can. 24. *quis dixerit justitiam acceptam non conferri, aut etiam augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augenda causam, anathema sit.* Ex quo Can. sic formatur Argumentum. De remisso opere verum est dicere: Est opus bonum, utpote ex gratia factum. Ergo verum est dicere augeri justitiam, nam indefinite Trident. dicit, opus bonum augere justitiam. Hoc ipsum urgetur verbis Trident. ibid. cap. 16. *Opus remissum antecedit Dei gratia, comitatur, & sequitur, fit virtute, per quam in nos infuit Christus; fit ex gratia, sine qua nullum opus est Deo gratum & meritorium.* Ergo inter Trident. *nihil ipsi justificatis amplius deesse credendum est, quominus mereantur: deesse autem illis per oppositos fervor, & intentio.* Jam autem per Tridentinum tota ratio merendi refertur in esse ex gratia, quod competit etiam remissis actibus.

PROBATUR Tertiò. T. q. non requiritur certa intentio gratiæ ad hoc, ut justificet, Ergo nec certa intentio meriti, ut augeatur gratia. Tum quia augere merita, foret in detrimentum merentis; quod ipsum probatur: quia habens gratiam ut quatuor, eliciendo actum ut duo, meleretur, quia ille actus, respectu illius habitus, cum habeat proportionem dimidii, non posset dici remissus; quod si fit habens gratiam ut mille, erit remissus, consequenter nec meritorium augmenti. Ergo habere intensiorem gratiam, cedit in detrimentum merentis. Tum quia, ut ait Amicus, si ad meritum est necesse super vires habitus operari. Ergo ad meritum, est necesse, non connaturaliter operari: quia connaturalis operatio, non excedit potentiam. Si item sit necesse operari, intentione, quæ sit æqualis habitui, iterum ad merendum erit necesse non connaturaliter operari: quia agens liberum non est determinatum ad operari, secundum ultimum posse.

OBJICIES Primò. *Habitus acquisiti non augentur ab actibus remissioribus, Ergo neque infusi.*

RESPONDETUR negando Antecedens. Alii ponunt Disparitatem eò, quod habitus acquisiti, physicè augeantur, Ergo ex conditione agendi physicè, quæ est, esse ab excessu, non possunt augeri, nisi ab actibus intensioribus; habitus autem infusi augentur non nisi meritorie, merita autem etiam non intensa, habent rationem meriti.

INSTABIS. *Non infunditur gratia & charitas, nisi juxta mensuram propriæ dispositionis, Ergo nec augeatur.*

RESPONDETUR Concedendo Totum. Sed nego, quod actus remissus, non fit mensura debita ad quodcunque augmentum.

OBJICIES

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tom. II. Z.
D. VI

OBJICIENS Secundò. Si etiam actu remisso augetur habitus, sequitur, quòd si unus mereatur uno instanti, & alius decima parte quadrantis, quòd hic posterior superaret priorem infinitis gradibus gratiæ: superaret enim duratione actus, infinitè pluribus instantibus.

RESPONDETUR. In sententia Aristotelis non componi durationem quadrantis, infinitis instantibus. Deinde dici potest in merito non attendi ad durationem physicam, sed ad moralem: quia ipsa ratio meriti, est moralitas quædam.

OBJICIENS Tertio. Si gratia & habitus intenditur etiam remissis, sequitur infinitum augmentum Sanctitatis.

RESPONDETUR. Sicut nec actus sunt infiniti, ita nec augmentum illis respondens erit infinitum. Dicunt etiam alii, augeri tunc gratiam non arithmetice.

Ex occasione de Intensione habituum inquiri potest? An intensio gratiæ, & intensio aliarum virtutum, sint æquales, ita, ut quot sunt gradus gratiæ, tot sint aliarum singularum virtutum. Affirmat Cajet. Quar. Tan. Kon. Sal. Sfor. & Gran. dicit hoc esse indubitabile, docetq; Rip. d. 28. & desumitur ex S. Thoma 3. p. q. 89. a. 2. in fin. (.) Oppositum docet Sot. & Viet. Vasq. etiam & Aragon, putant fidem & spem, non tendi nisi per proprios actus. Pro sententia Affirmante Rationes format Ripal. Tum quia Trid. Sess. 6. cap. 1. describens incrementum in gratia, dicit hoc incrementum peti in illa oratione: Danobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum; ubi incrementum Justitiæ, explicat per incrementum aliarum virtutum. Tum quia, si positâ gratiâ ponuntur necessariò habitus infusi. Ergo & auctâ augentur: passionibus enim sequuntur conditionem naturæ. Tum quia rationes in oppositum non convincunt: quòd enim dicunt hominem, non per quemlibet actum reddi magis fidelem: redditur enim magis fidelis habitualiter. Et quamvis major sit proportio actus ad suum habitum, quàm ad alios comparatos, habet tamen etiam cum illis mediante gratiâ nexum, quæ aucta, exigit suarum passionum augmentum.

Haftenus dicta quasi in universali de habitibus, debent intelligi proportionaliter de Fide.

QUÆSTIO II.

De Actu Fidei.

SANCTUS THOMAS accommodans se phrasi Aug. L. de prædest. SS. cap. 2. docet, quòd credere, sit cum assensione cogitare. Ubi per Ly assensione, distinguitur fides à quocunque assensu evidenti. Ly enim assensio, sumitur hîc, pro libera & à voluntate imperata adhesionem in-

tellectus. per Ly autem cogitare, distinguitur fides à visione Beata, &c. Cogitatio enim dicit quid imperfectum, & nondum formatum per plenam veritatis visionem: quando enim possidetur Verum, non dicimur cogitare, sed scire, propter quam imperfectionem, non vocatur secunda Trinitatis persona Cogitatio Patris, sed Scientia, Verbum, &c. Addi tamen aliquid debet huic definitioni, ne coincidat cum fide Humana. Reflectendo ad doctrinas supra positas sic definitur Actus fidei. Quòd sit Judicium supernaturale, immediate innitens veritati primæ, obscurè attestanti. Sicut fides pro habitu sumpta est Qualitas supernaturalis principiativa actuum assentiendi, propter veritatem primam obscurè attestantem. Et hæc de definitione Actus Fidei.

Quod attinet ad divisionem actus fidei. Celebris est illa divisio, Credere Deo. Credere Deum. Credere in Deum. Primum significat habitudinem ad Deum, tanquam formale motivum assentiendi. Secundum habitudinem ad Deum tanquam ad Objectum materiale. Tertium habitudinem fidei ad Deum ex imperio Charitatis, quæ charitate quia destituti peccatores Credunt in Deum hoc sensu: quia gratiâ adjuti, habent efficacem intentionem subdendi sese Deo per fidem: aliàs non possent dicere, Credo in Deum. Ad quæstionem illam, an dici possit nos credere in Ecclesiam? Respondetur, si per credere in aliquem, velis significare subjectionem intentionalem alicui, tanquam ultimo fini, sic non creditur in quidquam, nisi in Deum. Si autem per Ly credere in Deum, notetur habitudo ad objectum quod creditur, & circa quod exhibetur actus fidei, vel habitudo ad eum, cujus dictis fides exhibetur, in hoc sensu clarum est, non soli Deo nos credere: expressè enim dicit S. Paulus epist. ad Philem. *Gratias, inquit, ago DEO meo audiens fidem, quam habes in IESUM CHRISTUM, & in Sanctos ejus.*

Circa alias divisiones fidei, quæ dici possent, alibi suppono tractata; hoc, de ipso actu fidei tractandum, relictum est: An Actus fidei sit diffusivus.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur quædam, An Actus Fidei sit diffusivus?

PRÆMITTO Primò. De duplici discursu fidei insitui posse quæstionem. Primò. An fides sit diffusiva discursu virtuali; nomine discursus virtualis intelligendo, quando scilicet uno indivisibili actu, assentitur quis uni propter aliud. Secundò. An sit diffusiva discursu formali, qui fit per distinctos realiter actus, involventes assensum unius, propter aliud.